

serit, sed litteras dispensationis subsequuta sit, antequam ipsas litteras Ordinarius exsequutus fuerit et dispensationem impertiverit, quia, ut ait Sylvius Resolut. variar., verb. *dispensatio* : « Ut bulla mandari possit executioni, oportet casum qui in ea proponitur manere invariatus, quoad que ipsa sit executioni mandata. » Copulam vero supervenientem post dispensationem ab Ordinario factam non impedire matrimonii validitatem declaravit eadem Congregatio Concilii apud Garziam de Benef. part. 8 cap. 3, ubi plura ad rem congerit. Similiter si Pontifex non in forma commissaria, sed in forma gratiosa litteras dispensationis dederit, hoc est absolute et immediate per se ipsum dispensando, copula superveniens matrimonio valide ineundo non obsistit. Oportet autem in exprimenda copula, ut illud etiam exprimat, an sola libidine habita sit, an sub spe facilius obtinendae dispensationis : sic enim dispensatio aut nullo pacto, aut difficilius conceditur, ne facilitas veniae incentivum tribuat delinquenti. At vero si qui super aliquo impedimento publico dispensationem consequuti sint, nulla facta mentione carnalis copulae occulta maneat, validitati matrimonii contracti vel contrahendi prospicitur per occultam dispensationem a S. Poenitentiario obtinendam. Porro exsecutor dispensationis matrimonialis contra jus et fines mandati ageret interrogando dispensatos, an carnalem copulam habuerint; etenim inquisito criminis fieri nequit, nisi infamia praecesserit ex cap. INQUISITIONIS. 21 de Accusat. et Inquisit. neque ad exsecutorem seu Judicem delegatum spectat cognitio rei, de qua in Rescripto nulla mentio habetur, cap. CUM OLIM. et cap. VENERABILI de Offic. et potest. Jud. deleg.

Pro dispensatione super reliquis Impedimentis matrimonii haec sunt praecipue exponenda. In cognatione spirituali praeter expressionem copulae, si habita sit, exponendum est, an sit paternitas et filiatio spiritualis, an compaternitas et comaternitas; siquidem aut nunquam, aut raro admodum dis-

pensatur, si cognatio sit inter levantem et levatum. In criminis impedimento explanandum est, an proveniat ex solo adulterio et fide data, an machinatio aliqua ex parte utriusque, vel alterutrius intercesserit, an effectum sortita sit, an denique vivente adhuc legitimo Coniuge cum adultero vel adultera matrimonium attentatum sit. In impedimento publicae honestatis explicandum est, an haec ex Sponsalibus de futuro, an ex Matrimonio rato ortum habeat; namque in primo casu gradum explicare non oportet, quum publica honestas primum gradum non excedat; at in altero casu gradus probe explanari debet, itemque linea; quo enim gradus propinquior est, eo difficilius dispensatio.

Haec autem omnia praecipue spectant matrimonium contrahendum; ubi vero agatur de revalidando matrimonio jam contracto, quod propter impedimentum aliquod nullum sit, praeter expositionem impedimenti in sua specie, gradu, linea et origine, declarandum adhuc est : 1. An matrimonium ipsum bona unius, vel utriusque fide. 2. An spe dispensationis facilius obtinendae. 3. An publice praemissis vel omissis denuntiationibus contractum fuerit. 4. Denique an fuerit consummatum. De his plura dabunt Practici, et in primis Pyrrus Conradus in Praxi Dispensat. Apostolic.

CAPUT X.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

§ 194.

DE UNITATE MATRIMONII.

Jam superest ut de Matrimonii proprietatibus atque effectibus dicamus. S. Augustinus tria bona Matrimonii ex Scri-

ptura observat, fidem, prolem, et Sacramentum. Fides unitatem Matrimonii; proles procreationem filiorum eorumque educationem, et religiosam institutionem; Sacramentum indissolubilitatem ipsius Matrimonii designat: quae res praecipuae sunt Matrimonii proprietates. Quae sint parentum et filiorum officia, quive rectus Matrimonii usus, Theologis deserendi provinciam libenter damus. Nos de unitate Matrimonii ejusque indissolubilitate breviter dicemus.

Matrimonium ita a Deo institutum est, ut duorum tantum, non plurium conjunctione constaret; quod Christus tum alibi, tum apud Matth. 19 apertis verbis declaravit: « Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit virum suum et alteri nupserit, moechatur. » Namque si adulter vir est qui dimissa uxore sua aliam ducit, et mulier adultera est quae dimisso viro suo alteri nubit, cur non adulter erit, qui proprium conjugem retinens alteri copulatur? Christus vero in Evangelica lege polygamiam simultaneam prorsus abolevit, et matrimonium ad primaevam institutionem revocavit, secundum quam duo erant in carne una. Hinc merito Tridentinum sess. 24 can. 2 ita definivit: « Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. » Sane pluralitas uxorum licuit nunquam absque divina dispensatione, « per quam sicut Jacob a mendacio, Israelitae a furto, et Samson ab homicidio, sic et Patriarchae et alii viri justii, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur, » ut inquit Innocentius III in cap. GAUDEMUS de Divortiis. Ea autem dispensatio divina praesertim Patriarchae Noe post diluvium indulta, ut majori, qua fieri posset, celeritate humanum genus multiplicaretur, utpote probabiliter sentit Bellarminus lib. 1 de Matrim. cap. 4, jam ante Christi adventum cessavit: « si tamen, » uti subdit, « non cessasset, certum est a Christo fuisse omnino sublatam, ita ut jam non solum Christianis,

sed et aliis gentibus omnibus polygamia prohibita sit. » Atque ob eam rem fieri intelligimus, sicut docet Catechismus Romanus de Matrim. p. 2 cap. 18 num. 19, « ut si infidelis quispiam gentis suae more et consuetudine plures uxores duxisset, ad veram Religionem conversus fuerit, jubeat eum Ecclesia caeteras omnes relinquere, et priorem tantum justae et legitimae uxoris loco habere. At vero si prior ex hujusmodi mulieribus neque converti velit, neque sine contumelia Creatoris cohabitare consentiat, matrimonium cum ea in infidelitate initum divina lex solvit. » Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: « Si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, » ut inquit Innocentius III cap. QUANTO de Divortiis. Quamobrem infidelis post conversionem et baptismum poterit ex pluribus mulieribus, quas habuerat, eam in uxorem retinere quae fidem amplectatur, renovato tamen debita forma consensu, quia prior ille consensus quem ipsi sibi in infidelitate praestiterant, nullus et irritus fuit ob nuptias jam constantes cum ea muliere, quam sibi primum desponsaverat. Verum si ignoretur, ubinam prior conjux infidelis degat, aut si modus non suppetat eundem legitime interpellandi, Pontifices Summi in iis rerum circumstantiis consueverunt ab interpellatione facienda eximere infidelem ad fidem conversum, eique liberas nuptias permittere cum alio fidei contrahendas. In quo tamen Pontifices vinculum matrimonii in infidelitate contracti dissolvere in animo non habuerunt, sicuti egregie animadvertit Pontius de Matrim. lib. 7 cap. 48 num. 22: « Dispensavit certe (S. Pius V) ac supplevit monitionem de jure praescriptam: similem etiam dispensationem concessit Gregorius XIII. » Nec vero ex ea dispensatione colligitur dissolvisse Pontificem matrimonium consummatum infidelium; sed quum Pontifex possit jus divinum interpretari, et ex divino privilegio dissolvatur matrimonium in favorem fidei, cum infidelis non vult cohabi-

tare cum fidei, declarat Pontifex eum casum verificari, quando tanto tempore fidelis non requiritur ab infideli, atque adeo jam tum posse ut divina concessione et ad secundas transire nuptias. Confer Benedictum XIV de Synod. Dioecesis. lib. 13 cap. 21; et in primis ejus Constitutionem Apostolici MINISTERII editam 17 Kalendas octobris 1747.

« Juri divino, » ait idem Pontifex cit. loc., « jus naturale succedit in iis matrimoniis irritis faciendis quae prima uxore vivente ineuntur; » jus, inquam, naturale non primum illud quidem omnis mutationis aut dispensationis prorsus incapax, sed secundarium, ut vocant, quod circumstantiis rerum et personarum mutatis mutari et ipsum potest per dispensationem, ad quam impertiendam unus Deus satis habet auctoritatis. Itaque polygamia si primario fini matrimonii, procreationi nempe filiorum non plane repugnat, nonnihil tamen obest, quia experientia compertum est cum libidine et intemperantia saepe sterilitatem conjunctam esse. At certe polygamia contraria est filiorum educationi, et mutuo inter conjuges amor ac tranquillae cohabitationi, ad quos etiam fines nuptiae institutae sunt. Quae etenim animorum conjunctio inter plures uxores et virum unum esse potest, dum plurium in eodem jure communicatio invidiam et zelotypiam pariat; invidia vero lites et jurgia perpetua, eoque magis si vir, quod facile contingere solet, plus unam quam reliquas diligat et charam habeat? Praeterea quatenam recta filiorum institutio haberi poterit, dum singulae matres de suis tantum filiis sollicitae erunt, eosque caeteris praeferendos curabunt, atque hinc invidiam patris in filios, odia et dissensiones concitabunt, quod triste novercarum exemplum satis comprobatur? Denique polygamia institutioni Sacramenti et significationi repugnat, quod ita a Christo institutum est, ut esset unius cum una indissolubilis conjunctio, ejusdem Salvatoris conjunctio cum Ecclesia ejus Sponsa significans. Verum si polygamia ex parte viri primum matrimonii finem penitus non

evertit, ex parte tamen foeminae tum primario, tum secundo fini adversa est; impedit enim prolis generationem, quia una mulier pluribus nupta maritis non foecundatur, ut patet in meretricibus; redditur incerta proles, atque adeo multis in educatione periculis obnoxia est; ruit pacifica vitae consuetudo inter conjuges, tranquillitas et ordo in re familiari: quae scilicet pax et rectus ordo fingi poterit in familia, in qua sunt plures viri, hoc est plura capita? Hinc in Veteri Testamento legimus multos viros Sanctos pluribus mulieribus simul copulatos, sed nullam mulierem Sanctam plures maritos eodem tempore habuisse.

§ 195.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

Quamvis Moyses Hebraeis permiserit per libellum repudii dimittere uxores suas, et alias sibi matrimonio copulare, Christus tamen Matrimonium ad primaevam institutionem suam, nempe ad indissolubilitatem revocavit, non lege nova condita, sed veteri duntaxat indulgentia sublata: « Quoniam Moyses, » Matth. 19 « ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui ipsam duxerit, moechatur. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. » Quare Innocentius III, cap. GAUDEMUS de Divort., eam legem edixit, ut qui in infidelitate legitimam uxorem repudiaverit, « quum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente poterit aliam, etiam ad Christi fidem conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel eum pertrahat ad peccatum. » Hinc fit ut antequam matrimonium illud dis-

solvatur, pars infidelis interpellanda sit, an Christianam Religionem amplecti, aut cohabitare saltem velit sine contumelia Creatoris; de quibus supra dictum est. Hoc privilegium infideli converso et baptizato divinitus datum in favorem christianae Religionis ac fidei singulare et unicum est.

§ 196.

DE DISSOLUTIONE MATRIMONII RATI.

Rata fidelium Matrimonia per religiosam professionem, aut per legitimam Romani Pontificis dispensationem dissolvuntur. De religiosa professione res definita est a Concilio Tridentino sess. 24 de Matrim. can. 6: « Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi, anathema sit. » Unde autem vis illa religiosae professioni accesserit, non una est Doctorum sententia. Alii a naturali jure derivant, vi cuius licere putant a statu minus perfecto ad perfectionem transire; alii a jure positivo divino per traditionem ad nos delato; alii demum ex jure ecclesiastico, quatenus per hoc jus cuivis Christianorum matrimonio haec tacita conditio inest, « nisi ante matrimonii consummationem malim religiosum statum amplecti. » Quamquam vero per religiosam professionem in Ordine approbato solemniter emissam matrimonium ratum et nondum consummatum dirimatur, illud tamen per Sacrorum Ordinum susceptionem non dissolvitur, cap. ANTIQUAE De voto et vot. redempt. inter Extravag. Joannis XXII. Quod autem dispensationem Pontificis spectat, per eam quoque matrimonium ratum dissolvi posse, constans plurium saeculorum praxis, quam sane oportet apud Catholicos omnes summi momenti esse, satis superque testatur. At firmissimum est consummati fidelium matrimonii vinculum, ita ut neque per solemnem professionem, neque per dispensationem Pontificiam, aut haeresim, aut apostasiam,

aut adulterium, aut molestam cohabitationem, aut absentiam, aut ullam aliam ob causam, sed per alterius duntaxat conjugis mortem dissolvi possit. Hinc Concilium Tridentinum sess. 24 de Matrim. can. 5 definit: « Si quis dixerit propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit. » Et can. 7: « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam quae dimisso adultero alteri nupserit, anathema sit. »

§ 197.

DE SEPARATIONE TORI ET COHABITATIONIS.

Quamquam autem Matrimonium ratum et consummatum, quod spectat ad vinculum non dirimatur, multae tamen sunt causae quibus conjuges toro et habitatione separantur sive in perpetuum, sive ad tempus. Perpetuae separationis causa est alterutrius conjugis voluntarium adulterium: ex aliis vero causis conjuges separantur ad tempus, videlicet durante eadem separationis causa. Itaque ob alterutrius adulterium pars innocens, altera parte etiam invita et reconciliationem petente, jure potest in perpetuum separari, imo potest sine ejus consensu vitam monasticam profiteri, vel Sacris Ordinibus initiari; adulterio enim admissio conjux cadit jure in alterius corpus quaesito. At quaeritur, num conjux innocens adulterum dimittere teneatur? Quae in re quamquam per divortii faciendi jus ex causa adulterii tam viro, quam foeminae competat, quod tamen obligationem spectat, Doctores communiter inter

virum et uxorem discrimen faciunt. Si enim mulier adultera fuit, putant maritum divertere omnino debere. Nam Prov. cap. 18 ita legimus: « Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est et impius. » Quam sententiam spectans S. Augustinus, lib. 1 cap. 49 Retractat. illud retractat quod lib. 1 de Serm. Domini scripserat, scilicet permissum, non jussum esse divortium. Pari- ter in cap. Si quis de Adulteriis haec habentur: « Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quae non egerit poenitentiam, sed permaneret in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit et ejus peccati particeps. » Nam eo in casu maritus est patro- nus turpitudinis indirecte saltem, quod omittat, quantum in ipso est, mulierem delinquentem corrigere, atque etiam par- ticeps erit injustitiae, si filii adulterini cum legitimis haere- ditaria bona partiantur. At vero si maritus ipse adulter fuerit, non eandem in uxore obligationem agnoscunt dimittendi vi- rum: 1. Quia mulier quae virum non dimittit, non censetur peccato viri consentire, proinde ac mulier non tanta in virum quanta vir in mulierem, polleat auctoritate. 2. Qui non eadem incommoda et damna legitimis filiis imminent, neque enim incertus erit pater, nec falsus haeres supponetur. 3. Quia rarum est maritum adulterum ex divortio ad meliorem fru- gem redire, quin potius, ut advertit Sotus: « ea abstinentia non cedit in remedium viro, ut saepius esse ei consueverit majus praejudicium. » Itaque mulier poterit aut dissimulare, aut sustinere quod non valet corrigere. Caeterum et ipsa tenetur agere quidquid putaverit ad viri emendationem con- ducere; quamobrem si ex divortio probabilis sit spes emen- dationis obtinendae a viro divertere tenetur. At, facto divor- tio, si adulterum flagitii vere poeniteat, pars innocens potest, imo ex caritate tenetur quandoque eidem reconciliari. Verum separatio ob causam adulterii locum non habet: 1. Si adul- terium ab utroque conjuge patratum sit, quia paria crimina mutua compensatione tolluntur, cap. 4 de Divortiiis, et cap. 6

et 7 de Adult.; imo si postquam mulier jam a viro ob adul- terium separata est, vir in idem flagitium labatur, matrimo- nium redintegrandum est, cap. 5 de Divortiiis. 2. Si pars in- nocens culpabilem causam adulterii dederit, cap. 6 De eo de cognov. 3. Si adulter ob vim illatam aut probabilem igno- rantiam aliquo pacto excusari possit, veluti si mulier vi op- pressa fuerit, si vir deceptus aliam mulierem pro uxore sua habuerit, si conjux alterum vita functum existimans novas nuptias iniverit. 4. Denique si pars innocens acceptam ab adultero injuriam sive expresse, sive tacite remiserit.

Haec de Divortio perpetuo ex causa adulterii satis dicta sint: nunc exponendae sunt causae, quae temporale inter conjuges divortium inducere valent. Quatuor autem recensentur: 1. Est haeresis, et multo magis apostasia a fide, quia ex cohabitatione cum haeretico vel apostata valde timendum est, ne conjux Catholicus ejusque proles pervertatur. Quin omne periculum animae, cum nempe conjux alterum conjugem ad grave aliquod peccatum provocat atque impellit, justam prae- bet causam divertendi. Quin enim naturali et divino jure non modo permissum, sed etiam mandatum sit, ut periculum ani- mae et spiritualem ruinam evitemus, integrum profecto erit ob eam causam a toro et habitatione recedere. 2. Est pericu- lum tum corporis, tum famae, tum honoris; non enim con- jux conjugi maritali societate adeo devinctus est, ut nequeat gravem suae vitae et honoris jacturam declinare. Hinc conjux sanus poterit ab eo separari, qui lepra aut alio contagioso morbo laboret. Sic etiam uxor divertere poterit a marito, si hic latrocinia exercent, ne tanquam criminum particeps ha- beatur. 3. Est saevitia aut furor conjugis, si ex. gr. maritus uxorem suam capitali, ut aiunt, odio prosequatur, ejusque vitae ferro, veneno, aut aliis modis paret insidias, vel eam indigne et inhumaniter habeat. Cum enim mulier non vile mariti mancipium sit, sed tori consors, rerumque humanarum et divinarum socia, cumque jus defensionis contra vim alte-

rius injustam unicuique concessum sit, divortium effugium esse aerumnosae ejusmodi vitae dubitare nemo potest. 4. Denique est molesta cohabitatio propter jurgia rixasque frequentes, quae indomita unius conjugis improbitate soleant excitari: siquidem ex molesta hujusmodi cohabitatione alter conjux de salute animae et incolumitate corporis periclitatur.

Separatio autem conjugum auctoritate Judicis competentis decernenda est. Hinc privata auctoritate divertere non licet, nisi periculum sit in mora, et conjux suo arbitrato divertens ad cohabitandum compelli poterit. Ob adulterium tamen fas est conjugi innocenti, sine Judicis auctoritate, sese ab alterius toro separare.

§ 498.

DE EFFECTIBUS MATRIMONII.

Matrimonii valide contracti effectus plures sunt, vel ex ipsa conjugii natura, vel ex Sacramenti religione, vel ex jure humano dimanantes. Quatuor praecipui sunt qui utrumque conjugem spectant, hoc est vinculum indissolubile duorum in carne una, jus mutuum in corpora ad actus procreandae prolis aptos, obligatio tum ad custodiendam tori fidem, tum ad individuam vitae consuetudinem et mutuam adjutorium, et demum gratia Sacramentalis qua mutuus eorum amor perficitur et adjuvatur, fides matrimonii sustinetur, et matrimonii ac familiae onera evadunt leviora. Praeterea sunt aliqui effectus, sive jura non communia, sed cujusque conjugis propria, et quidem ratione viri duplex potestas nempe maritalis, vi cujus maritus est caput uxoris, quantum ad gubernationem et domesticam administrationem pertinet, et patria quam in liberos ex justis nuptiis susceptos adipiscitur. Mulier vero fit particeps status et dignitatis mariti, jusque censequitur ad alimenta. Effectus matrimonii sunt etiam natales legitimi: itaque liberi nascuntur legitimi non solum ex matri-

monio valido, sed etiam ex matrimonio ob latens impedimentum invalido, modo bona fides conjugum intervenerit. Bona autem fides in foro externo praesumitur, quando matrimonium publice in faciem Ecclesiae contractum est, quin unius conjugis bona fides sufficit, ut proles legitima censeatur. Itaque si conjugatus, vivente uxore sua, aliam duxerit non consciam impedimenti, proles pro legitima denuntiatur. Lite etiam pendente de valore matrimonii, modo alteruter conjugum in bona fide perseveret, liberi ea pendente nati adhuc legitimi habendi sunt; nam mala fides legalis, quae per litis contestationem inducitur, in praejudicium prolis nihil efficit. Eundem effectum legitimae prolis reddendae leges quoque tribuerunt matrimonio nativatem prolis subsequenti, si tamen inter parentes quo tempore eandem generarunt, aut aliquo saltem tempore intermedio usque ad ipsius prolis nativatem, legitimum matrimonium esse potuerit. Denique duo reliqui sunt nuptiarum effectus respectu filiorum, jus nempe alimenta et subsidia honestae et christianae educationis a parentibus exigendi, et subjectio potestati patriae, de cujus effectibus plura dabunt Juris Civilis Interpretes.